

PALATINO SELECTUS.

23

Maritos suos in extremum Miseriarum & Infamiae conjiciant barathrum. In Solutis res levior; At in Jugatis, quis toleret? Est tamen, & ab omni tempore fuit, perniciofa labes. Diluvio crederes abolitam; sed cum Idololatriâ revixit, eoque etiam inter Gentiles processit, ut nec Ratio tacere potuerit. Difficile erat Satyras non scribere, cum non Plebeiae tantum, aut Patriciae titubarent; sed Regii etiam, sed Imperatorii Spiritus, pudendo prosterentur artificio. Quis Cleopatram ignorat? Quis Messalinam? Plena sunt Historicorum, plena Poëtarum scripta. Plerique rem vituperant. Id mirum. Nonné Deum sequebantur? Venerem Vulcani Uxorem, quam colebant, cum Marte, Adonide, Anchise, concubuisse norant; Norant Eam ex Hoc, ut modò dictum, Æneam suscepisse; Norant fallaci Blanditiarum palpo eò adegisse Maritum, ut Spurio Arma fabricaret, quibus is contra Hostium insultus tutior esset; Id agentem in praesenti Gemma contemplamur. Cernis Venerem; Cernis Vulcanum, Veneris Maritum; A tergo Vulcani, Cupido est, Veneris filius; Ad dextram Veneris, Satyrus. Venus Nuda visitur; Dextrâ Columbam praetendit; Sinistra Faci innititur; Vulcanus Incudi assidens sinistra Forcipem tenet, dextrâ Malleum elevat; Cupido recedit, Arcumque & Sagittas aufert; Satyrus Urem inflat. Cave hæc Deorum opera credas; Egredia sunt & Perfidiae conjugalis, & Poenarum symbola.

Quæ subdola persuasione Mariti honorem prodit; Quæ inhonestâ vaficie Adulterii fructum fovet; quis Cælo dignetur? Conjugium cum Vulcano in naturalibus ponit D. AUGUSTINUS (f). Ut Voluptas oritur, Ignem Libidini cooperari necesse est; Venus Libidinis Dea credebatur, Vulcanus Ignis. Hæc Conjugii ratio. Vulcanus Ignis est, sed Subcœlestis; neque hic omnis, sed impurior tantum, qui vel ex Nubibus eliditur, vel quotidianis inservit usibus, qualis etiam est, quo in fingendo ferro fabri utuntur; Hinc de Vulcano fabula; Hinc ipse fuligine sordidus & Faber.

Non est, quòd mireris, tam Deformem Formosissimæ jungi. Formosa est Venus, si externa Corporis intuearis; Si interna Mentis, vel Vulcanum praetuleris. Sub Venere contemplare Uxorum quarundam levitatem & nequitiam; Sub Vulcano, miseram Maritorum aliquot simplicitatem; Sub Cupidine, Amorem conjugalem; sub Satyro, Satanam. Venus Face nititur & Columbam praetendit; Fax Amoris symbolum est, Columba Sinceritatis. Amore & Sinceritate se confisas mentiuntur, quæ simplici Maritorum credulitati illudere satagunt. Vulcanus fallaci palpo delinitus patienter operam suam Adulteræ addicit; O quot hodiènum, durissimo

(f) Contra Faustum l. 20.